



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Qua ratione terrere, mirari, & optare possit orator. Cap. XXXVII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

Qua ratione terrere, mirari, & optare possit orator.

## Cap. XXXVII.

**T**ERREBIT orator, si incommoda belli, penuria, pestis, et maximè diuina indignationis, effectus, ante oculos ponat. quæ figura maximè adhibenda est in oppidis, & præsertim ruri; verbi causa: Non colligetis messes, fratres, filij vestri immatura morte vobis præripiuntur, varijs calamitatibus opprimemini, quia Deum non agnoscitis, quia eum blasphematis, quia decimas fraudatis. Miratur interdum Ecclesiasticus orator, indè occasionem sumens, agèdi gratias Deo, verbi causa, cum Ecclesiam alicuius oppidi, admodum nobilem & magnificè constructam intuetur, cum aliquod præclarum & nobile institutū, imitatione dignum in oppidis reperit, cum dextera excelsi mutationem factam animaduertit. Quæ figura rarò adhibetur, & magna cum cautione, nè, dum miratur, tacitè laudare aut adulari videatur. Hac forma dicèdi vti possunt fortassè episcopi cōmodè, dum diocœsim suam visitant. Optationis exemplū est illud Esaia: Utinam attendisses mandata mea; facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris. Ecclesiasticus autem orator, cum aut ex munere suo, aut ad nobilissimū concionādi munus missus fuerit, optantis personam sæpè induet. cum enim paterna charitate completatur eos, apud quos dicit; quæ patres optant filijs suis, hoc est, quæ eorū vitæ, & eorum cōmodis sunt necessaria, ea pro animarū salute, & pro vitæ spiritualis incremēto, ipse debet optare: & idè proprio nomine appellans villam, aut oppidū, aut ciuitatē, in qua sermonem habebit,

vbi

ubi quæ agenda sunt Christiano, docuerit, explicans Evangelium aut Epistolam, poterit dicere: Vtinam sceres, vtinam intelligeres, vtinam nouissima præuideres, vtinam tibi attenderes, vtinam Dei voces audires, & vnā, aut harum duas, quas dicimus optationes, poterit pluribus verbis explicare.

De libera voce, & de exclamatione.

Cap. XXXVIII.

**L**IBERAM vocem protulit Gregorius Nazianz. in laudibus Cæsarij, cum dixit: Meum munus est oratio, quam etiam fortasse posteritas exceptura est, nunquam inter morientem, nec eum, qui ex hac vita migravit, prorsus abire sinentem, verum in auribus animisque hominum, quem ornandum suscepit, semper conseruantem; eiusque, qui desideratur, imaginem expressius, quam in tabula proponentem. liberam interdum vocem proferre poterit Ecclesiasticus orator, raro tamen admodum, verbi causa: Quid potui facere, fratres, & non feci? nunquam per multum tempus à vobis discessi, vobis sanctissima sacramenta ministraui, verbum Dei explicavi; pauperibus, quantum potui, opem tuli; paterno vos omnes amore dilexi; pro quibus rebus, quas gratias mihi habetis, fratres? nihil profuit mea diligentia, obfuit potius quibusdam, qui me monentem ferre non possunt, & veluti phrenetici, animarum suarum medicum auersantur. Sed adhibenda est maxima cautio, ne hac figura nimium delectari videatur Ecclesiasticus orator. Exclamatione usus est Nazian. in Apologetico, cum dixit: Ad peccatum huiusque medicos & de pulsores, frontem aperte perfricamus.